

Q. K. 351, 2.

157.
II f
22

Q. D. B. V.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA
NOYN ^{нои} YΛHN
MATERIARIORUM VETE-
RUM PHILOSOPHORUM

X 1860 433

præcipue sistens,

DEI Gratia

ac Inclutæ Facultatis Philosophicæ Indultu

Publico placidoque Eruditorum examini
proposita

à

M. HENRICO VOLKMAR

Scherzer / Lips.

PRÆSIDE

&

Johann Gottfried Hantschel / Scandav. Misn.

RESPONDENTE

die VIII. Aprilis A. O. R. M. DC. XCIII.

H. L. Q. C.

L I P S I Æ,

Literis CHRISTIANI GOEZII.



77



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the paper]



V I R O

Maximè Reverendo, Amplissimo atq; Excellentissimo,

MAGNIFICO hodie ACADEMIÆ RECTORI

DN. VALENTINO ALBERTI,

SS. Theologiæ Doctori, ejusdemq; P. P.

Extraordinario, Log. & Metaph. Ordinario celeberrimo,

Consistorii Electoralis & Ducalis Assessori, A-

lumnorum Electoral. Ephoro, Academiae Decem-

Viro, Collegii B. Mariæ V. Collegiato, ejusdemque

ut & Nationis Polonicæ Seniori, Viro de omni-

bus queis fungitur officiis immortaliter

merito,

Dn. Patrono ac Præceptori secunda mihi post Deum

pietate colendo.

VIR MAGNIFICE,



*Audacius fortè Musarum Tuarum verenda irrum-
penti, Tibiq; variis iisq; gravissimis undiquaq; cin-
cto ac obruto penè negotiis, obstrepenti inanibus
hisce, trepidandi paululum non deest causa. Ast
cum quod moderatur omnia Numen ipsum non
proximis sibi tantum mentibus adsit, sed paga-
norum quoq; desideriis vacet, omnesq; puram & castam afferentes
mentem aspectu beet, animum mihi insuper Tua, quam erga me ex-
pertus sum semper maximam, humanitas sumere iubeat, accessum
jam ad Magnificentiam Tuam moliri nullus dubito. Eò verò au-
dacia procesi, ut Magnificum Nomen Tuum meæ qualiquali præscri-
berem dissertationi, pretium, proprio destituta, vel à solo nomine ac-
cepturae Tuo. Benignum enim, ut arbitror, ait non nemo, quem in de-
liciis à Te haberi non ignoro, & plenum ingenui pudoris fateri, per
quos profeceris. Cùm igitur per Te profecerim, V. M. Tuis tutelis,*

A 2

provi-

provisionibus atq; curis debens totum, omne quid in me ingenii est,
quod sentio quàm sit exiguum, vel imprimis post Deum Tu, Vir M.
Mæcenæ mearum grande decus columenq; rerum, fructum repete-
re potes. Quantis enim Tu me per tria ferme lustra, per quod tem-
pus tuo mihi concessum est uti hospitio, cumulatam ieris beneficiis,
quàm salutaribus instruxeris monitis, quàm indefessum studiorum
meorum Te præstiteris Patronum, quin quàm humanissimè Tuam
omnibus omnis generis libris instructissimam Bibliothecam obtule-
ris, rem ineptissimam facerem, si parem exponere Panegyricus mi-
bi esset conscribendus, vix tamen laudes expressurus Tuas, quas vel
à præstantissimis celebrari pene sit nefas, cum summas saltem du-
cturum earum lineas vel diem defecturum crediderim. Video jam
quidem, quanta Tibi debeam, sed quàm ratione tot nomina passim
expungere queam, invenire ac comminisci haud valeo. Nempe
uti summum Numen non alià magis re, quàm religione ac cultu
conciliatur, hoc unum pro muneribus ac donis, quæ in genus huma-
num quotidie spargit infinitis, sibi postulans; sic magna Deoq; pro-
xima mentes, cætera omnia calcant faciliè atq; contemnunt homi-
num saltem mentes, quas beneficiis reddidere suas obstrictas sibi de-
votasq; tenentes, soloq; in affectu pulcherrimum operæ pretium
statuentes, quibus jam rebus nemini ulli mortalium unquam con-
cedam. Signum igitur quoddam pietatis in Te editurus meæ char-
taceum bocce leve Tibi, Vir Magnifice, offero, veniam audacia
summoperè expetens meæ. Nam sicut non minus litat, paucas qui
tburis glebas crepitantibus adnumerat focis, quàm pecudum qui
cruore altaria inundat: ita aviculas jam imitabor plumas celebri
Delphico Apollinis templo & apes ceras tradentes, adq; celebratissi-
mum Fame Tuæ Templum, quod eruditus dudum Tibi exstruxit or-
bis, chartaceum bocce offeram Tibi, Vir Magnifice, pro innumeris mi-
hi exhibitis beneficiis, cum Ulyssæ illo Homericæ Nausicæ gratias a-
gente, apprecans

Σοὶ ἢ Θεὸς τόσα δῶν, ὅσα Φρεσὶ σῆσι μενοινᾶς
MAGNIFICI ALBERTINIANI NOMINIS

Admirator perpetuus

PRÆSES.



כשם יהוה

SECTIO I.

Τῆς ἀρχῆς τοῦ κόσμου.

§. I.

Aggressuro mihi Materiariorum circa mundi creationem sententiam evolvere, operæ pretium foret omnia & singula pertractare prolixè, quæ primam omnis Disputationis haud decerent partem; Ast cum Termini hoc in Themate occurrentes, vel nullâ, vel si aliquâ, levi tamen, eaque haud magni momenti gaudeant difficultate, brevem saltem eorum tractationem brevitati studenti L. B. non vitio vertet.

§. II.

Creatio primò se præbet conspiciendam, quam esse affirmo productionem entis ex nihilo, definitione tritâ quidem, sed usitatâ Patribus multis v. gr. *Augustino Libro XII. de C. D. c. 25. Damasceno L. I. Fidei orthodoxæ c. 8. & L. II. c. 1. Tertulliano libr. contra Hermogenem, Cyrillo & aliis; ut & Scholasticis non paucis, v. gr. Thoma I. Part. 2. 45. Anselmo in Monologio, Suarez Disp. 20. aliisque, quos si omnes recensere conarer, vel dies me deficeret. Evolve insuper è recentioribus Gerbard. Disp. Isagog. de creat. it. Kesleri Phys. Phot. Sect. I. Principio I.*

§. III.

Productionem autem illam ex nihilo seu creationem primam & immediatam Græcis à κτίσειν Hebræis à ברא dictam hic tradens, esse affirmo (secundùm Thomistas) actionem, quâ Ens producitur secundum se totum in quantum ens est, ex nihilo, tanquam ex Termino à quo, non ex materia, aut aliqua alia re, ad constitutionem ejus pertinente,

mente, ita, ut nunc secundum se totum aliquid producat, quod prius secundum se totum nihil erat, τὸ ex negativum hōc locō, prout formaliter negationem dependentiæ in subiecto vel alio principio intrinsecè concurrente affirmat, non positivum & causale est, ac si denotet causalitatem & influxum ipsius nihili in rem producendam. vide *Suarez. Disp. XX. Sect. I.* Audiamus Vasquez hac de re differentem in *Disp. XXIV. c. 3.* Perinde est, inquit, rem ex nihilo tanquam ex Termino à quo produci atque nihil præexistere ante productionem, quod ad constitutionem illius rei quodammodo pertineat, vel quod idem est, atque rem fieri secundum se totam, nam quando aliquid rei præcessit, & ea productione non fit, non est creatio, eo, quod illa res non ex nihilo sed aliquo fiat, sive illud sit forma, sive materia. Res enim dicitur fieri ex omni eo, quo constituitur, quare si præcedat forma rei, dicitur ex illa fieri non ex nihilo. Confer Revium in *Suarez Disp. XX.* Sed satis de creatione sit dictum, cum omnium ferè huc spectantium in *Disp. nostra* sub præsidio Magnifici nostri D. Alberti, Parentis instar ætatem devenerandi, injecta fuerit mentio.

§. IV.

Aggrediamur jam, qui sequitur creationem, Mundum. Mitteres verò Græcos, quorum primus est Pythagoras, secundum Plutarchum *L. II. de placitis Philosophorum*, κόσμον ἀπὸ τῆς κοσμεῖν non ob ornatum tantum sed & ordinem appellantes, sicuti apud Homerum ordinem quoque denotat, quando κοσμήτορες λαῶν populi erant præfecti; mittentes quoque Hebræorum מְלַךְ (cujus emphasin eruere conatur *Kloppenburg. Dissert. II. thes. 12.*) & מַלְאָךְ Mundum dicimus pro magno hoc universo sive tota rerum corporearum collectione, prout primitus fuit producta. Veterum desiderantibus mundi descriptionem occurrunt Ciceronis in *L. de N. D. Herm. Trismegist. Augustini L. II. c. 4. De Civ. Dei, Platonis in Timæo* & aliæ, quarum enarratione jam supersedebimus, cum unica Philosophi contenti esse queamus, quæ maximo-pere nobis arridet in *libr. de mundo cap. 2.* κόσμος ἐστὶ σύστημα ἐξ ἄρανῶν καὶ γῆς, καὶ τῶν ἐν τῷτοι περιεχομένων φύσεων.

§. V.

Succedunt Materiarii ipsi, quorum nominis si desideras originem, materiæ eos illam debere Tertullianus in peculiari adversus Hermogenem (qui inter Christianos primus hoc nomen promeruisse dicitur) autor

autor est libro. *A Christianis, inquit, conversus ad Philosophos, de Ecclesia in Academiam & porticum, inde sumsit à Stoicis materiam cum Domino ponere, quæ & ipsa semper fuerit neque nata, neque facta, nec initium habens omninò nec finem, ex qua Dominus omnia postea fecerit.* Quo in libro potissimum Materiarii audire cœperunt. Confer *Tertull. de præscript. Heret. librum.* Augustinus quoque *de hæresibus c. LIX.* errorem de materia DEO coæternâ (quæ antiqua in Ecclesia fuit controversia secundum *Eusebium L.V. c. 27.*) Hermogeni tribuit. Ita namque dicit: *quæ materia æterna vulgò censetur Hermogenis commentum & delirium, quod postea interpolavit Manes.* Nam id ipsum à Philosophis Stoicis (de quibus infra una cum reliquis) ut pene omnia sua sumserat *Hermogenes.* Multos autem exiisse Hermogenes nemo ibit inficias, qui vel in limine adhuc *hist. Eccles. hæret.* velut *Hermias Anthropomorphitarum defensor,* de quo *Theodor. in Historiis,* item alius *Sabbatii Episcopi Fautor,* de quo *Nicephor. lib. 14. c. 13.* confer *August. de hæres. c. LIX. it. Philastrium c. LV.* Nos verò Hermogenem Afrum hic intelligi volumus, de quo Augustinus l.c. dicit: *cui hos errores potius quam Afro tribuam non habeo.* Licet verò *Voss. Disp. I. de creat. Baron. Annal. A.C. 170.* Hermiam ab Hermogene contradistinguat, sententiam tamen Dni. Præceptoris Excell. Itigii amplectimur, cui *Hermias & Hermogenes idem est.* Vide illum *de Hæresiarchis S. II. c. XVI.*

§. VI.

Quærimus hinc hac in Dissertatione: An creatum sit in principio vastum mundi hujus Systema ex præexistente, æterna, vel antea creata materia, sive ex nihilo purè negativo. Ultimi quod affirmamus membri probationem, Sectio suppeditabit subsequens.

SECTIO II.

Τῆς Θεσεως κατὰ σκευασίην.

§. I.

Cum τὰς ἐξ ἐναντίας Philosophi partim, hæretici partim constituent, dupliciter quoque thesin nostram contra illos probatum i-
bimus, argumentis nimirum cum è Rationis, tum Gratia lumine desumptis.

§. II.

§. II.
 Adducamus statim ab initio verbum **ברא** Gen. I. adhibitum, quod nil nisi productionem ex nihilo loquitur. Evolvamus hac de re Rabbinos ipsos, inveniemusque *R. D. Kimchi in libr. rad. dicentem* כל לשון בריאה הוא התחדש הדבר וצאתו מאין לוש cui ad stipulatur *R. Nachman super Gen. I.* nil melius, inquit, probare productionem ex nihilo quam vocem **ברא** confer *B. Gerhardi Disp. Isagog. Disp. X.*

§. III.
 Si materia prima in illo hexaemero est creata ex nihilo, sequitur, quod nulla materia Deo coaeterna adsit. Verum est prius. Probo, quia materia prima est essentialis & materialis pars omnium rerum creatarum. Poster. probo Exod. XX, 11. ubi Deus condidit sex dierum intervallo Coelum & terram, mare **וְאֵת כָּל-אֲשֶׁר-בַּיָּם** (& omnia quae in illis) confer *R. Menasse de creat. Probl. IV. it. Kesleri Phys. Phot. Sect. I. Princip. I. Episcopus l. IV. instit. Sect. III.* rationem hanc addit, dicendo: si materia prima esset increata, Deoque coaeva, Deus nihil potuisset ex ea creare. Non enim habiturus fuisset jus introducendi formam in illam; nec ullam introducere in illam, aeternam quippe nullique mutationi obnoxiam, potuisset.

§. IV.
 Historiam quoque Mosaicam id loqui abunde affirmat Calovius *Syst. Art. de creat. p. 898.* & per **ברשית** Gen. I. 1. denotari dicit omnium rerum extra Deum initium & primordium. confer *Quenst. Syst. L. de creat.*

§. V.
 DEUS vocavit τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα, non entia ut entia, *Rom. IV. 17.* confer. *2. Maccab. VII. 28.* ubi dicitur, Deum τὰ βλεπόμενα μὴ ἐκ φαινομένων produxisse. vid. *Ebr. XI. 3.* ubi per τὰ μὴ φαινόμενα intelliguntur μὴ ὄντα vide Theophylactum in h. l.

§. VI.
 Egregie porro probat *Quenstedt L. X. de creat. Sect. II. Q. V. p. 430.* ratione ex *B. Gerhardi Disp. Isagog. Disp. X.* desumpta, qui sequentem in modum procedit. Constat, inquit, mundum esse à Deo creatum, aut igitur ex nihilo, aut ex aliquo, si ex aliquo, rursus de illo quaeritur, an sit creatum vel increatum? Si creatum, rursus emergit eadem Quaestio: an



an sit ex nihilo vel aliquo: sic dabitur processus in infinitum, quod est absurdum; aut dicendum erit illud, ex quo mundus creatus est, esse aliquid increatum, si aliquid increatum, sequitur aut esse ipsam Dei essentiam, aut aliquid præter & extra Deum, si posterius, duo dari actu infinita, Deum nempe & increatum illud, ex quo hic mundus conditus, quod absurdum, darentur enim duo principia. Si prius, mundus esset aut ipse Deus, qui solus est ἀκτίστος, aut ex substantia Dei esset productus, quorum utrumque hypothese concessæ de creatione mundi repugnat.

§. VII.

Si materia increata & æterna præextitisset, & Deus mundum producere aliâ ratione nequivisset, nisi ex illa, sequeretur, quod Deus neque omnipotens sit neque independens. Non enim posset producere aliquid ex nihilo, & dependeret in operari à materia, ac sic porro etiam in esse. vid. B. Parentis *Syst. L. III. §. IX. p. 89.* confer quæpiè & accuratè differit Irenæus *libr. II. c. X.* Deus ex his, quæ non erant, quemadmodum voluit, ea, quæ facta sunt, ut essent omnia, fecit, suâ voluntate & virtute substantiâ usus, & c. XI. Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum, quoniam homines de nihilo quidem non possunt aliquid facere, sed de materia subjacente: DEUS autem quàm homines melior, eò quod materiam fabricationis suæ, cum ante non esset, ipse invenit.

§. IIX.

Tertullianus contra Hermogenem ratiocinatur sequentem in modum: Materiam parem, inquit, Deo infert (Hermogenes); Deum autem unum esse oportet: quia quod summum est, Deus est. Summum autem non erit, nisi quod unicum fuerit: unicum autem esse non poterit, cui aliquid adæquabitur: adæquabitur autem Deo materia, quando æterna censetur. Hujus farinae pluribus refertissimus est nostri Tertulliani, quem rectissimè Vincentius Lirinensis Principem Latinorum, hoc est (secundum Buchneri effatum *in Orat. Fest. III. p. m. 83.*) primum & antiquissimum Patrem appellat, contra Hermogenem liber. Confer Kesleri *Phys. Phot. Sect. I. Princ. I. p. 4. sqq.*

§. IX.

Non possumus non huc transcribere *Theophili Antiocheni Episcopi L. II. ad Autol. p. 250.* pro nostra sententia allatum argumentum, à creatoris, naturæ & artificis hominis distinctione desumptum. Τι δὲ μέγα, εἰ ὁ Θεὸς ἐξ ὑποκειμένης ὕλης ἐποίησεν τὸν κόσμον, καὶ γὰρ τεχνίτης ἀνθρώπου

B

ἀνθρώπου

ἄνθρωπος, ἐπὶ ἅπλην λάβη δὲ τινός, ἐξ αὐτῆς ὅσα βύβλια ποιῶ.
Θεὸς δὲ ἡ δύναμις ἐν τῷ φανερεῖται, ἵνα ἐξ ἑκ ὄντων ποιῶ ὅσα βύ-
βλια. Patres nobiscum facientes, vide in Gregorio de Valencia Diss. III.
Part. II. pag. 989.

§. X.

Plura argumenta nostra pro sententia in medium jam proferre su-
perfedemus, cum & ad abundantiam jam jam prolata Thesis probent, &
quod reliquum est, omne sibi Sectio subsequens vindicet.

SECTIO III.

Τῆς ἀντιθέσεως ἀνασκειυασιμῆς.

Tertiam hanc dissertationis nostræ partem duplici includentibus divi-
sioni, nemo vitio vertet, qui cognoverit, & adversarios ad huc esse
adducendos, & eorum argumenta primaria refutanda.

PARS I.

De quatuor Sectarum Sententiis.

§. I.

OMnes verò, quibus olim sapientiæ studium Philosophorum nomen
induit, cum mundum ex nihilo produci potuisse negarint, vel ma-
teriam præexistentem asseruere, vel æternitatem ipsi concessere,
quibus Mosen historiam suam objecisse putat *Philo Judæus Init. Cosmog.*
vid. *Petavii Opp. Theol. O. Lib. I. cap. I. p. 224.* ubi in adducendis Patrum
Testimoniis satis multus existit.

§. II.

Omnes idcirco à me recensendi & refutandi forent, nisi quidam
ex illis adessent, qui vel omnia, vel optima eorum argumenta attulerint,
hacque in quæstione vires potissimum periclitati sint suas.

§. III.

Cum omnibus enim hoc pacto nobis res futura esset laborque non
unius anni, sed plurium exiturus, adversariorum ob numerum. Ita
namque *Gassendus Sect. I. Phys. Lib. I. c. 6.* Omnes, inquit, *Philosophi* (de
genti-

gentilibus loquitur) in id consenserunt, ut materia praeferret, ex qua pro-
creatus sit mundus, quod nihil ex nihilo fiat. Conf. Lipsium *Lib. II. Phys.*
Stoic. Dissert. II. p. 69. seqq. Nam illud Democriti, inquit, effatum omnes
receperunt, μηδὲν ἐκ τῆς μὴ ὄντος γίνεσθαι, μηδὲν εἰς τὸ μὴ ὄν φθείρεσθαι,
imò hoc πρῶτον ψευδὲς gentilium audit *Thomasio in Schediasm.*
histor. pag. 12.

§. IV.

Rem ab ovo orsuris Zoroaster & Simon Magus objiciuntur, prius-
quam ad Græcos dilabamur. Zoroaster nimirum haud multis antiqui-
tate cedens, utpote Persicæ Philosophiæ, quæ à Magis petebatur, (teste
Aristotele ἐν τῷ μαγικῷ, & Sotione in libris τῆς Διαδοχῆς) secundum
Vossium, Institutor. Magus porro Zoroastris secundum *Thomasii Sched.*
p. 22. discipulus, *Eusebio Hist. Eccl. 13.* πάσης αἰρέσεως εὐρετής, *Cyrillo Hie-*
rosol. Catech. VI. fons & radix hereticorum, *Irenæo L. I. cap. 19.* πρῶτότα-
τον αὐτῆς διαβολῆς οἶος, idemque Ignatio *Epist. ad Tral.* dictus, uterque
duos Deos ἀντίτεχνους, bonum & malum statuens, vid. *Plut. Lib. de Is. &*
Osir. P. II. Moral. & Laertium de Vitis Philosophorum. Sed cum Græcos
potissimum evolvere sit animus, missos jam hos facimus.

§. V.

Gnosticos quoque tacemus, ad quos ex Zoroastris schola portento-
sa illa de adversantibus sibi Numinibus somnia derivata esse dicuntur. Sic
ex Porphyrio refert *Baronius ad annum 120. n. 36. Tom. II. Annal.* Gno-
sticos Romæ libros quosdam vulgasse, quos Zoroastris revelationes no-
minare non erubuerint.

§. VI

Græcorum agmen Anaxagoras ducat, qui teste *Plutarcho de placi-*
tis Philosophor. πρῶτον τοῖς ὅλοις ἔτυχεν, ἔδ' ἀνάγκην διακοσμή-
σεως ἀρχὴν, ἀλλὰ νῦν ἐπέστησε καθαρὸν καὶ ἀκερῆλον ἐμμεμιγμένον
πᾶσι τοῖς ἄλλοις, primusque mentem omnia docuit condidisse, ut præ-
ter *Lucilium Vellejus* testatur apud *Ciceronem Lib. I. de Nat. Deor.* *Timon*
insuper hoc ipsum de Anaxagora fatetur ἐν τοῖς σίλλοις

καὶ πῶς Ἀναξαγόρην Φασ' ἐμμεναι ἄλκοιμον ἤρω,
νῦν, ὅτι δὴ νότον αὐτῷ. ὃς ἐξαπίνης ἐπαγείρας
πάντα συνεσφῆκωσεν ὁμῶς τετραγυμνὰ πρῶτον.

Quid multis insistam? cum *Laertii* industria ipsa nobis verba *Anaxagoræ*
conservavit extantia in *Plutarcho de placit. Philos. Lib. I. cap. III.* Sunt illa
autem hujus tenoris: πάντα χεῖματα ἦν ὁμῶς. εἴτα νῦν ἐλθὼν αὐτὰ διε-

κόσμησε, quod ipsum Athenienses ἀθεότητα καὶ ἀσέβειαν vocarunt.: quin ex hoc fundamento Justino Martyri in oratione ad Græcos aperte ἀθεῶν audit, quo jure, vid. *Vossium de Theologia Gentil. Lib. I. Cap. I. pag. 3. seqq.*

§. VII.

Hausisse verò Anaxagoram sententiam hanc ex Thaletis Milesii institutione aquam initium rerum profitentis, Deum autem mentem ex aqua omnia fingentem, Autor est *Minutius in Octavio* & *Laëtantius L. I. it. M. Tull. in I. de natura Deorum*. Et recentioribus confer *Vossium de Sectis Phil. Cap. V. & de Theol. Gentil. Lib. I.*

§. IIX.

Per capita saltem nobis jam erit eundum, cumque præcipuæ sectæ, non dicam plane omnes, consenserint in id, duo æterna esse Deum & materiam, teste *Thomasio de Stoica Mundi Exust. Dissert. II. §. 2. seqq.* conf. *Joh. Grammat. Philoponi in Proclum, de mundi æternitate argumenti undecimi solutionem*, quatuor jam præcipuas sectas earumque autores videbimus, Platonem, Aristotelem, Zenonem, & Epicurum. Licet enim de origine & interitu Mundi disputatum sit inter illos, ex nihilo tamen mundum creatum non esse affirmarunt. Ita *Arnobius Lib. II. Mundum quidam ex sapientibus existimant neque esse natum, neque ullo esse in tempore periturum. Immortalem nonnulli, quamvis eum conscribant esse natum, & genitum & ordinaria necessitate periturum.* Hunc Arnobii Locum *Delrio* repetens *Comment. in Seneca Oct.* addit: *Quarum (sententiarum) prima Aristotelis est, altera Platonis, tertia Epicuri est & Stoicorum.*

§. IX.

De Platone nonnulla saltem adduxisse juvabit Testimonia, ut & Platonis & Platoniorum ex illis sententiam satis abunde jamjam conspiciendi adsit copia. *Diogenes Laërtius* (maximum in Philosophica historia præbens lumen, secundum *Buchner. in Epist. Part. I. pag. 81.*) in eo: Δύο, inquit, τῶν πάντων ἀπέφηκεν δεχάς, θεὸν καὶ ὑλὴν, ὃν καὶ νῦν πρὸς αὐτοὺς γορεύει, quam veterem jamjam & ab ipso *Homero* sub Protei & Eidotheæ fabulâ *Odyss. δ.* decantatâ, opinionem putat *Lipsius Phys. Stoic. L. I. Dissert. IV. p. 9. Plutarchus de Plac. Phil. Lib. I.* Τρεῖς δεχάς, τὸν θεὸν, τὴν ὑλὴν καὶ τὴν ἰδέαν ipsi tribuit, & alibi: περὶ τῆς ἐν Τιμαῖῳ ψυχογονίας dicit: ὁ γὰρ ἐκ τῆς μὴ ὄντος ἢ γενέσεως, ἀλλ' ἐκ τῆς μὴ καλῶς μὴδ'

μὴδ' ἰκανῶς ἔχοντες. Confer ejusdem *Plutarchi* πλάτωνικὰ ζήτη-
ματα in *Opp.* fol. 1001. B. *Apulejus Platonius* ex eadem sententia pronun-
ciat *Lib. I. de Doctr. Plat.* Initia agens rerum arbitrabatur *Plato Deum*
& materiam: & alibi *de Philosoph. nat. p. 285.* Initia rerum, inquit, esse
tria arbitrabatur *Plato*: *Deum & materiam rerumq; formas*, quas *ideias*
idem vocat. *Alcinous* (cujus libri autorem *Arium Didymum* ab *Eusebio*
nominatum *Preparat. Evang. 15. cap. 14.* non autem *Alexandrinum Car-*
pent. in Prefat. constituit. *Raynaud. Theol. nat. Dist. I. Qu. II. Art. III.*
pag. 61.) de Doctrina Platonis Cap. XII. de Deo loquitur: Ἐκ τῆς πάσης
ἔν (inquiens) ὕλης αὐτὸν (κόσμον) ἐδημιούργηται, ἢν ἀτάκτως καὶ πλημ-
μελῶς κινεμένην πρὸς τῆς θεοῦ ἡρέσεως ἐκ τῆς ἀταξίας παραλα-
βὼν πρὸς τὴν δέξιαν ἤγαγε τάξιν & sic porro. Confer *Maximum Ty-*
rium eadem differentem in *dissertationibus.*

§. X. Philosophorum exciperent plura Patrum Testimonia, nisi præter
Cyrillum contra Jul. I. Theodoretum contenti esse queamus, *Platoni* hanc
imprimis licet compluribus quoque aliis Philosophis tribuentis senti-
entiam, *libro ejus contra infideles Græcos IV. tit. Lib. de Materia & Mundo. tit.*
Divin. Decret. epit. Lib. K. Illum vero per illud ejus effatum, ἐξ ἧς λό-
γος καὶ διανοίας Θεῦ, ex *hebræorum monumentis* fuisse edoctum; *Dei*
verbum effecisse omnia, evincere subinde una cum *Clemente Alexandri-*
no, vid. Pansa de osculo Philos. Gent. & Christ. p. 426. conatur Lib. IK.
de materia & mundo p. 366. b. Cui accedit *Cælius Rhodiginus*, qui *cap.*
ult. Lect. Antiqu. totus est in *Platone* tanquam à *Christi placitis* haud vere
dissito laudando. *Istius enim Philosophi inenarrabilis (illi) est sapientia*
amplitudo atque majestas, & quod mirari non vacat satis, Christiane veri-
tatis ita vestigijs adnexa conglutinata, ut similitudo major cogitari magno-
pere nulla possit. Quod vero assertum destruere vel solam putarim opi-
nionem de materia præexistente, ex *Dei* imprimis substantia, æternæ pro-
gressionis interventu oriunda, si *Leoni* fidem habemus *Hebræo Dial. III.*
de Amore f. 498. I. Cabalist. Pistarii, quamvis *Leonis* interpretatio haud
firmo interdum nitatur talo, cum *Thomasius de Stoic. Mund. Exust. Diss.*
II. & XIV. offenderit jamjam quæ spongiam promeruerit.

§. XI. Sed quid immoramur de *Platone*, & quibus nomen dedit, afferre
doctorum Testimonia, cum *Platonis* ipsius integer *Timæus, & Timæus Lo-*

crus, libello de mundi anima, ac Hermes, libellis Poëmandro & puella seu pupilla mundi luculentius omnia explicuerint. In materiali nempe conveniunt omnes quotquot adduximus & adhuc potuissent; circa formale vero cum dissentiant, quaestionem hanc Thematis loco aliis laboribus nobis sumus reservaturi, cum in praesentiarum saltem, quod non è nihilo sed aliquo secundum Philosophos mundus fuerit productus, iverimus demonstratum.

§. XII.

Argumenta pro adstruenda materia prolata vel à Platone vel à Platoniceis cum ferme coincidunt cum reliquorum rationibus, evolutioni reliquarum trium sectarum subjungemus.

§. XIII.

Excipiat Praeceptorem Discipulus haud in omnibus vestigia fideliter legens Platonis Aristoteles. Quamvis enim omnes nonnulli cum Simplicio, optimo Aristotelis, omnium facile suffragio Interprete, vires periclitati sint suas, ut amicitiam firmam & *λογομαχίαν* saltem illos intercessisse adstruerent, argumentis tamen à *Mureto in Orat. XXII. p. 389. seqq.* & *Thomasio Orat. XIII. p. 279.* prolatis, adducor ut credam, magnam illos inter esse discrepantiam. Evolve *Launojum de varia fortuna Aristotelis p. 90.* aperte demonstrantem quot articulis dissenserint. Confer *Antonium Possevinum Lib. XII. cap. XII.* catalogum conciliantium textem.

§. XIV.

Disputatum autem inter Aristotelis interpretes est, num creationem agnoverit, vel non? Dubium hac in re asseruere Aristotelem extitisse nonnulli, quos inter est *Molina I. p. quaest. 45. Art. I.* Ignorasse illum illam & inficiatum esse, censuere *Valesius controvers. 8. in fin.* qui addit, putare, Aristotelem somniasse creationem, eorum hominum esse, qui quæ nesciunt, sciunt. Adde *Magium L. I. de mundi exust. c. I. Perer. V. Pbyf. c. 7. Camerac. in IV. quaest. I. L. H. ac Turrellum pro & contra se ac Conimbrienses multa tradentem de rerum eternitate p. 258.* Perparum illum scivisse eam statuit *Suarez. disp. XX. Metaph. S. I. n. 26.* Scivisse autem illum & statuisse creationem, sequentibus innisi affirmamus argumentis. Animam quippe Aristoteles rationalem, ens esse factum agnoscit, & tamen *2. de gen. anim. c. 3.* de foris eam accedere affirmat, i. e. non educi de subiecti potentia, sed quod habeat actionem non communicantem cum materia.

teria. Assentitur *Thomas* probans ex 2. *Metaph.* 4. ubi dicitur: *omne ens esse ab eo, quod maximè ens sit*, ex quo infert *Thomas*, materiam juxta *Aristotelem* à Deo factam, non potuisse aliter, quàm per creationem fieri. *II. Rhet.* 23. asserit, *Damones* opus DEI esse, de quo plura vide apud *Cornimbrivenses*. Non excurrendum igitur est amplius, & ex *Aristotelis* providentiæ cognitione argumenta plura quaerenda, quam *Theophilus Antiochenus* L. III. ad *Autolicum*, *Thom. de car. cap.* 10. *Stapulensis* ad cap. III. *Zimara* lib. de anima, & alii ipsi tribuunt. Non exquirendæ rationes cum *Argentina* 2. d. 1. *quest. in fin. ex operibus de pomo, secretis secretorum ad Alexandrum & aliis*, de quibus adhuc sub judice lis est, libris, (quos adulterino & falso nomine dictos affirmat *Patricius* *discuss. peripatet.* T. II. L. VIII. p. 276.) Evolvamus saltem præter ante dicta *Metaph.* XII. f. 16. unde creationem cum novitate essendi exsculpere conantur *Theophrastus* libro de saporibus, aliique, quos vide apud *Genebrardum* Lib. I. *Chronol. in fin. §. mundum esse creatum*. Nihil itaque moramur, objiciat licet *Tauvillus* de rerum aeternitate p. 266. *Aristotelem* censuisse, mundum ab æterno fuisse, semperq; mansurum necessariò, cum *Aristoteles* aeternitatis hujus causam constituat DEUM, 2. *Gen. X.* 58. DEUM, inquit, universon, omnibus concinnè & eleganter dispositis, perfecisse, veram aeternitatem iis, quæ habere illam poterant, impertiendo. Conf. *B. Parentis* *Anti-Soc.* p. 33. *Calov. Theol. Nat.* f. 142.

§. XV.

Accedamus jam ipsam de materia & causa creationis sententiam. Mixtus materiæ DEUS Platoni connubio libero, *Aristoteli* necessario erat, adeoq; secundùm hanc opinionem servus necessitatis, ut ajebat *Philemon*:

ἄλλοι βασιλέων εἰσὶν, οἱ βασιλεῖς θεῶν
ὁ θεὸς ἀνάγκης.

quem errorem *Plutarchus* quoque tribuit *Homero* lib. de *Homero*, confer *Waldensem* in *doctrinali* c. X.

§. XVI.

Contrarietas porrò primorum principiorum aeternitatem mundi *Aristotelici* adstruere videtur, quid enim illud ejus & *Peripateticorum* ἀλλὰ λευκὸν μὲν γίνεσθαι ἐξ ἑ λευκῆ, & quicquid sit, ex contrario sit, quâ in quæstione omnes *Averroes* periclitatur vires suas, evolve eandem quæstionem discutientem *Patricium* in *discuss. peripat.* Tom. IV. L. I. p. 367. seqq. qui hoc insuper effatum totius *Philosophiæ Aristotelicæ* fundamentum

tum statuit *l. c. Tom. II. L. VIII. p. 278.* in *Phaedone* quoque prolixè dispu-
tatum est, αἴρ' ἔτιωσι γίνεσθαι ἀπαντα, ἢ ἄλλοθεν ἢ ἐκ τῶν ἐνανθίων τὰ ἐν-
ανθία, & paulò post: ἰκανῶς ἐν ἔφῃ ἔχομεν τῆτο. ὅτι πάντα ἔτιω γίνεσθαι
ἐξ ἐνανθίων τὰ ἐνανθία πρῶγματες. Quo adducti omnes veteres ferme
mundo concessere materiam præexistentem, nimirum secundum *Persium*
Sat. 3. de nihilo nihilum, in nihilum nil posse reverti. Mundus igitur ex
non mundo fieri haud potuit, vid. *Mendozam disp. phys. XII. p. 427. S. 2.*
errorem hunc Aristoteli tribuentem ob omnipotentiae divinae ignoratio-
nem. §. XVII.

Evolvamus jam *Aristotelis L. I. de caelo c. IX.* ubi demonstraturus non
plures posse esse mundos, dicit defectum materiae esse in causa ἑμῆνοι ἔτ'
εἴη ἄλλο, ἔτ' ἔτ' ἂν ἐνδέχοιτο γνέσθαι πλείους, διὰ τὸ πᾶσαν ὕλην
περμεληφέναι τῆτον. Quem errorem vehementer ipsi exprobrant *Co-*
nimbricenses, quos adire potes.

§. XVIII.

Tribuit ipsi hanc opinionem inter alios Scholasticos & *Scotus* plura
exinde falsa ipsi demonstrans *Lib. XII. Sect. II. c. V. p. 69.* Asseruerunt quo-
que id contra Thomam pie illum exponentem quamplurimi apud *Bona-*
venturam in 2. dist. 1. q. 2. n. 5. & multi ejusdem discipuli, quos referunt atq;
sequuntur *Conimbricenses hoc lib. 8. c. 2. q. 2. Art. 1.* Objicienti verò vel
Gaffarella in curiositatibus suis inauditis c. IV. p. 71. illud Aristotelis in L. I.
Prior. cap. IV. καθ' αὐτὸ male acceptum, vel alii ab ipso Aristotele pro-
blema appellitatum *1. Top. c. 9.* regerere possum ipsius in tua sententia in-
constantiam, quam ulterius deducit *Mendoza Disp. X. Sect. I. & Disput.*
XVII. S. I. p. 511.

§. XIX.

Plura de Aristotele desiderantem ablego ad *Justinum Martyrem* con-
tra illum, *Ambrosium 2. Hexaem. c. II. Basilium Homil. II. Hexaem. Zacha-*
riam Mityleneum contra materiae & mundi aeternitatem, è recentioribus
verò *Eugubinum de per. Phil. L. VII. Plessæum de verit. Relig. c. VIII. & Pe-*
rer. in Disp. Phys. L. XV. Zanchium de operibus creat. L. I. c. 3. & alios.

§. XX.

Succedant jam Stoici, tertiam nobis constituturi classem. Quorum,
secundum *Vossium de Sectis L. I. p. 9.* *Strabonem L. XIV. & alios*, Princeps
extitit Ζήνων κίτλιεὺς ἀπὸ κύπρου &c. vide *Laertium in eo*, Phoenix alias
Suida & Pœnulus Ciceroni L. IV. de Fin. dictus. Nec affeclæ quoque suis
caruere nominibus. Poetæ quippe dicti fuere, ut *Eratosthenes ἐν ὀγδὼν*
περὶ

περὶ τῆς δὲ χαΐας κωμωδίας tradit. Στακὰς quoque appellarunt, ut *Comicus apud Athenaeum L. XII.* Ἀκασαῖ ὁ Στόακας ἔμπυρσι λήρῃ.

§. XXI.

Omissis vero Nominibus placita eorum accedamus ipsa. Ubi offendimus *ipsius libri de essentia, teste Laertio in eo, sententiam*: Δοκεῖ δὲ αὐτοῖς δὲ χάς εἶναι τῶν ὄλων δύο, τὸ ποιῆν καὶ τὸ πάχον, τὸ μὲν ἔν πάχον εἶναι τὴν ἀποιοῦν ἔσΐαν τὴν ὕλην, τὸ δὲ ποιῆν, τὸν ἐν αὐτῇ λόγον τὸν Θεόν. Τῆτον γὰρ ὄντα αἰδίου διὰ πάσης αὐτῆς δημιουργεῖν ἔκαστα. quod decretum *Laertius Cleanthis in libr. de atomis, Archedemi lib. de element. & Posidonii secundo natur. rat. esse affirmat l. c. dicebatque de hoc Plato λόγον ἔχειν θήλεα δὲ καὶ μηλέα, vid. Cic. i. Acad.* Percipiamus porro Zenonem ex *Stobaei Eclogis Phys. ἔσΐαν εἶναι dicentem, τὴν τῶν ὄλων πάντων πρῶτην ὕλην, ταύτην δὲ πᾶσαν αἰδίου, ἔτε πλείω γιγνομένην, ἔτε ἐλάττω.*

§. XXII.

Duplicem verò constituit nobis ex mente Stoicorum *Laertius materiam, Omnium & singulorum.* Omnium ipsi est prima, singulorum secundaria in tale ac tale corpus formata. Primam autem illam aeternam statuentes, neque crescere, neque decrecere tradunt, diffusior quamvis aut rarior fieri possit, v. gr. cum in epyrosi vacuum omne implens; ipsa tamen non crescat, sed extensio in modo sit, non in essentia augmentum. Ita enim Zeno in *Stob. Phys. ταύτην αἰδίου, ἔτε πλείω γιγνομένην, ἔτε ἐλάττω.* τὰ δὲ μέρη ταύτης ἔκ ἀεὶ ταῦτα διαμένει, ἀλλὰ διαίρειται καὶ συγχεῖται. confer *Ovid. XV. Metam.* Corpus autem illam dixere Stoici, uti est in *Stobaeanis Eclogis*: οἱ Στωικοὶ σῶμα τὴν ὕλην ἀποφαίνονται quod & ipsis tribuit *Lipsius Phys. Stoic. L. II. p. 71. Conf. Plutarchum de genit. anima & Apul. de dogm. Plat.*

§. XXIII.

Miranti verò, qui corpus dixerint ὕλην, deficiente forma, sine qua nec latitudinem, nec longitudinem, nec altitudinem habet, reponere possumus, Stoicis late corpus fuisse quicquid est, quod testatur *Laertius memoriae prodens*: idem ipsis fuisse *σῶμα καὶ ἔσΐαν.* Contra quam opinionem *Eusebio teste preparat. Evang. XV.* librum conscripsit *Numenius*, cujus Titulus: ὅτι ἔκ ἀν εἶη σῶμα τὸ ὄν καὶ τὰς Στωικὰς. Sequitur quoque hac in parte *Tertullianus Stoicos libr. adversus Hermogenem*: *Substantia, inquit, est corpus rei cujusque, idem de carne Christi: Omne*

C

quod

quod est, corpus est sui generis, nihil est incorporale, nisi quod non est. Hinc qualitates Stoicis corpora, quod impugnavit Galenus lib. ὅτι οἱ παλαιότεροι αἰσώματα. confer Plutarch. adversus Stoicos, virtutes, affectus, vitia & quæ plura enumerat ac ridet l.c. Seneca propterea Epist. CVI. non puto, inquit, te dubitaturum, quin affectus corpora sint. Lucretius voces corpora dicit:

Corpoream (inquiens) quog; enim vocem constare fatendum est,

Et sonitum: quoniam possunt impellere sensum.

Plura desiderantem ablegamus ad Eustathium Homeri interpretem ad H. II. cui adjungimus Lipsium, qui unum saltem Chrysippum, de quo notum illud: εἰ μὴ γὰρ χεύσιππος, ἔκ' ἂν ἦν Στωά: totam hanc rem aperte demonstraturum sibi optat. in *Phys. Stoic. L. II. c. IV. p. 76.*

§. XXIV.

Materiam excipiat DEUS Stoicorum, qui ipsis ignis erat artificialis atque opifex, cujus ipsius naturæ non modo sol & stellæ sint, sed etiam genii & animæ hominum, quæ ex æterno illo igne, è siderum natura, & sine circuitu à Deo ipso, sicuti Hieronymus Epist. ad Marcell. & Anapsych. Tom. III. Op. f. 145. testatur: Animam secundum Stoicos esse à propria Dei substantia, hinc igitur Deum adjuncto fato mundum fecisse arbitrabantur. Quædam porro illum salva omnipotentia non posse credebant, quæ simpliciter ipsis impossibilia erant, quod nimirum ex nihilo nil fiat. Ea propter materiam increatam comminisci necesse habebant, quæ necessariis quibusdam gauderet sequelis, quas nec vitare valeret Deus, nec efficere, quæ pati materia recusaret. Quale putabant esse visum Talparum. vid. Thomasi Diss. de Visu Talpar. §. 32. An igitur hac ratione omnipotens sit Deus, videre est ex Chrysippo libr. περὶ προνοίας IV. quærente. εἰ τῶν ἀνθρώπων νόσοι κτ' φύσιν γίνονται, ac R. propositum Deo non fuisse, ut faceret hominem ægrotabilem: talem tamen extitisse hominem, ob sequelas necessarias nempe fatum. de quo vid. Thomasi. de Stoic. Mund. Exist. Dissert. XIII.

§. XXV.

Modum quod attinet in Zenone apud Laertium est: Τὸν Θεὸν κατὰ δεξιάς καὶ αὐτὸν ὄντα, τρέπειν τὴν πᾶσαν ἑστίαν δι' αἴρα εἰς ὕδαρ. καὶ ὡσπερ ἐν τῇ γονῇ τὸ σπέρμα περιέχεται, ἔτω καὶ τῆτον σπερματικὸν λόγον ὄντα ὁ κόσμος, τοίον δὲ ὑπολιπέαθ' ἐν τῷ ὑγρῷ, εὐεργον αὐτῷ ποιῆντα τὴν ὕλην, πρὸς τὴν τῶν ἐξῆς ἡμέρων. Εἶτα ἀπογνῶν

γῆν πρῶτον τὰ τέσσαρα εἰσὶν αἰεὶ, πῦρ, ὕδωρ, αἴερα, γῆν: Ubi per
 τῆς πᾶσης ὁσίας τρόπον vel materiam intelligit, vid. *Lipsii Phys. Stoic.*
Lib. II. c. VIII. vel ignem reliquum, & in eo semina rerum, reparationem
 imprimis post exustionem si intendit *Zeno*. Vertente se autem in aquam
 materia secundum Stoicos, validissimum ipsis aqua fuit elementum; hinc
Seneca III. Qu. nat. cap. XIII. *Aqua*, ait *Thales*, *validissimum elementum*
est. Hoc fuisse primum putat, ex hoc surrexisse omnia. Sed nos quoque
 (Stoici) aut in eadem sententia, aut in ultima sumus. Quo pertinet *Ma-*
nilius Lib. I. Seu liquor hoc peperit, sine quo riget arida rerum Materies,
 ipsumque vocat, quo solvitur ignem. Hinc *Philo de immortalitate Mundi:*
 τῶν δὲ Στωικῶν ἐνίοι χάρι τοῦ ὕδωρ οἴοντα εἶναι, παρὰ τὴν χύσιν τῆ-
 νομα πεποιθῶς νομίζοντες.

§. XXVI.

Nihil moramur itaque apud *Plutarchum*, licet offendamus *Lib. de*
anim. procreat. f. 1015. In Stoicorum delabemur angustias, qui malum ex
 non ente absque causa & procreatione introducunt, quando de his, quæ sunt,
 (i. e. de duobus illis principiis) neque bonum (Deum) neque qualitatis vacuum
 (materiam) probabile est substantiam & originem malo præbuisse, & de
commun. not. adv. Stoic. f. 1076. Non enim, (ajunt) malum ex se potuit e-
 dere materia omnis expers qualitatis. Si igitur *Plutarcho* fidem habe-
 mus, materiam mali esse principium, Stoici negarunt. *Xylander* quippe
 hoc non *Plutarchus* loquitur, his duobus locis versionis, à mente *Plutar-*
chi aberrans. Confer *Thomasium de Stoica mundi Exust. Dissert. XII. p. 164.*
 alium quoque ipsi errorem in versione commissum demonstrantem.

§. XXVII.

Agmen jam claudant *Epicuræi* cum suis *Atomis*, quorum *Antesigna-*
nus Epicurus extitit, non quidem *Atomorum* inventor, sed sectæ institu-
 tor novæ. *Atomos* quippe habuit *Leucippus*, de quo *Laertius in eo*, Λεύ-
 κίππῳ πρῶτῳ ἀτόμῳ δέχασ ὑπερήσαλῳ. Habuit *Democritus* vir
 jure magni nominis *Celso Lib. II. c. V.* dictus, ut est apud *Laertium in eo*.
 Habuit tandem *Epicurus*, hinc *Cicero I. de Nat. Deor.* *Democritus* vir ma-
 gnus imprimis, cujus fontibus *Epicurus* hortulos suos irrigavit, & *Lactan-*
tius L. III. institut. ubi sunt? aut unde sunt ista corpuscula? cur illa nemo
 præter unum *Leucippum* somniaverit? quo *Democritus* eruditus, heredita-
 tem stultitiæ reliquit *Epicuro*. Alios autem *atomos* quoque asseruisse, est
 apud *Aristot. L. I. de generat. c. VIII.* & *Plutarch. plac. L. I. c. XXIV.* ubi oc-

currunt Empedoclis θερούσματ'α ἐλάχιστα, & Heracliti ψηγματ'α ἐλάχιστα καὶ ἀμερῆ, & apud Laertium, qui Anaxagoram habet. Confer Gallæum ad Laëtant. Libr. de ira Dei, ubi Poetas inter, Lucretium quoque & Virgilium refert. Epicuro autem, hoc imprimis dogmate claro tribuuntur vel maxime, hinc Seneca L. IV. de Benefic. c. XIX. Te Atomi, & ista miscetua, forte ac temere conglobaverunt.

§. XXIIIX.

Placita jam visuri ipsa, summas Physiologiae Epicureae trademus lineas ex Laertii imprimis Epicuro à Gassendo edito depromptas πρώτον μὲν, ὅτι ἐδὲν γίνεσθαι ἐκ τῆ μη ὄντ'α, καὶ ἐδὲν φθείρεσθαι εἰς τὸ μη ὄν. Quo utpote, secundum Thomassium in Sched. Hist. fundamento praemisso, universum s. τὸ πᾶν (quod aliqui etiam τὸ ὅλον, τῶν ὄλων φύσιν, & τῶν ὄντων φύσιν appellant, quomodo Lucretius quoque interpretatur, ut omne, & naturam rerum vid. Gassendum in Epicur. p. 70.) tale ipsi semper fuit, quale & jam est, & quale jam est, tale semper erit, quippe & nihil est, in quod mutetur, ac praeter universum nihil est, quod in ipsum irrum-pens, sit illi mutationis causa. Hoc, ait Epicurus, ἐν τῇ μεγάλῃ ἑπιλομῇ, καὶ ἐν τῇ πρώτῃ περὶ φύσεως.

§. XXIX.

In hoc jam universo, nihil ipsi reperitur aliud praeter corpora & inane, corpora testatur, dicit, sensus, hinc Lucretius Lib. I.

Corpus enim per se communis deliquat esse

Sensus, quo nisi prima fides fundata valebit,

Haud erit, occultis de rebus quo referentes,

Confirmare animi quicquam ratione queamus.

Inane autem si deesset, corpora non haberent, qua motus suos obirent. Quae ambo rursus conjungit Epicurus in Epist. ad Pythoclem, dum ait: ὅτι τὸ πᾶν σῶμα, καὶ ἀναφῆς φύσις, per quam φύσιν intelligit Gassendus ad Laert. L. X. inane, & Plutarchus adversus Colot. Epicurum ἐν ἀρχῇ τῆς πραγματείας, dicere affirmat, τὴν τῶν ὄντων φύσιν, σώματα εἶναι καὶ κενόν. Confer Cicer. de Nat. Deor. 2. & Lucret.

Omnis, ut est igitur per se natura duabus

Consistit rebus, quae corpora sunt & inane.

§. XXX.

Corpora jam sunt ipsi alia composita, simplicia alia, ex quibus ut primis principiis composita seu concreciones, quae aliis sunt συγκεύματα fiunt,

fiunt, suntque ἄτομα ἀμετάβλητα, vid. Laert. p. 16. & Lactant. de Ira p. 784. Dixit ergo, levis esse, & aspera, & rotunda, & angulata, & humata.

§. XXXI.

Ἄτομα adjectivè hic dicit quæ alias ἀτόμους appellat, sed & Lactantius ac Laertius hoc nomine in Masculino sunt usi, Cicero & Plutarchus in foeminino: Epiphanius Suidas & Aristoteles in neutro. Ἄτομα autem dicuntur, quod τὴν τομὴν, ut inquit Servius in 6. Eclog. non recipiant. Adde Suidam τὰ ἄτομα λέγεσθαι, ἀμὴν τομὴν ἢ διαίρεσιν δέξασθαι δυνάμειν. vid. Dionys. Alex. apud Euseb. XIV. preparat. I. de fin. Hinc appellantur κατ' ἐξοχὴν τὰ σώματα, inanis expertia, ἀμέτοχα κενῶν, ex quibus omnia componuntur, appellantur ἀρχαὶ Principia & στοιχεῖα Elementa, ὡς ἀσπερμῖα ἢ τῶν ὄντων ὕλη rerum materies. Pythagorica denominatione, audivere μονάδες, quod, ut ex unitatibus numeri, sic ex ipsis concreta omnia fiant, hinc Aristot. I. de Anim. c. IV, nil differre ait, μονάδας λέγειν, ἢ σώματα μικρὰ. Plane in hunc modum est illud Automedontis Epigramma ita concludentis I. Anthol. 15.

Ταῦτ' εἰδὼς σοφὸς ἴδρι, μάτην δ' Ἐπίκερον ἔασον
ὡς τὸ κενὸν ζητεῖν, καὶ ἴνες αἱ Μονάδες.

Hec monitus sapito, ac permittito frustra Epicurum,

Querere ubi vacuum, qua monadesve sient.

§. XXXII.

Has Atomos per omne ævum mobiles esse affirmat Epicurus, quoniam Principium ipsi, ex quo fieri cœperint mobiles, nullum est, existentibus quippe Atomis ipsoq; inani perpetuò. Motum ipsum describit Laërtius p. 18. qui alias, referente Plutarcho, triplex Epicuræis fuit. Primus erat κατὰ σάθμην ponderis sive lineæ, quando, ut Ciceronis utar verbis, gravitate feruntur ad perpendiculum corpora individua rectis lineis. Alter erat κατὰ παρέγκλησιν declinationis, cum, ut idem ait, declinat atomus intervallo minimo, ἐλάχιστον quod ipse appellabat Epicurus. Tertius erat κατὰ πλὴγὴν plagæ, quando atomus ab atomo pulsa declinat. Hinc Lucretius L. II. 85. Nam cita supernè obvia cum fluxere, fit ut diversa repente disfiliant. Medius ille κατὰ παρέγκλησιν Epicuro fuit fortuitus non naturalis, utpote qui fieret sine causâ, non enim ob pondus, alias recta in præceps linea deferretur, neque ob plagam, quippe quæ contigerit, priusquam Atomus conflixerint.

§. XXXIII.

Infinitos jam mittimus mundos, infinitis Atomis seu potius atomo-

rum concursibus suas debentes origines, cum de iis in *Laërtii Epicuro* p. 17. multa sint legere. Sufficiat nobis saltem evoluisse, Atomos ὄλην Epicuri extitisse, cum non sit animus de Atomis agere ex professo, de quibus disp. extat *Dn. D. Svertneri Lipsia A. 84.* habita, sed manum de tabula.

PARS II.

Dilutionem primariorum argumentorum continens.

§. I.

Duo autem primaria saltem sumus adducturi argumenta, quibus præcipuè fuere moti adversarii ὄλην καὶ ὄλην excogitare, relicturi reliqua vel levioris momenti, vel hæc pro fundamentis habentia, iis, quibus tractatum conscribendi est animus. Sic cum *Laëtant. L. II. de Ira* p. 785. Epicuri refutat Atomos, eorumq; invicem apprehensionem corpus constituentem. Sic cum *Conimbricenses, Eugubinus de perenni Phil. Zanchius & alii Aristotelis occupationem materiae castigarunt*, vid. *Voët. Diss. Select. II. p. 568.* aliiq; alios.

§. II.

Primum sit: Ex nihilo nihil fit, de quo supra. Quod in natura saltem procedere concedo, in prima creatione nego. *Etenim quid hoc est*, inquit *Mornæus de veritate Relig. Christ. C. X. p. 196.* (sive potius *Theodoretus divin. decret. Epit. L. V. p. 287. a.*) nisi *Architectum eodem modulo ac pede, quo ædificium ipsum metiri? & quam infinitam fatentur potestatem, intra nostræ infirmitatis fines redigere & cogere? Deus, ajunt, nihil potest absq; materia. Cur verò ita? Quia nihil & Latomus sine lapide & cemento. Quasi verò major sit ullus in Logica aut Elenchus aut paralogismus, quàm si à finito ad infinitum, ab impotente ad omnipotentem, à caduco ad æternum, à bulla ad æternitatem ipsam argumentemur.* Hactenus *Mornæus*. Hinc *Atbanasius L. de Incarnat.* Nam si materia, inquit, autor non est, sed eâ subministratâ res creandas producit, imbecillis reperitur. Alibi verò *Mornæus* à Minori ad Majus argumentatur, quia nimirum (utor ejus verbis) ex nihilo (nimir. quasi nihilo seu materia inhabili) aliquid facit homo, verbi causa, ex pulvere aurum eliciens, ex coactilibus chartam &c. E. Deus omnipotens poterit ex purè nihilo aliquid efficere. Alia vide apud *Taurellum de rer. æternit. p. 408.*

§. III.

Accedamus jam ad objectionem alteram majoris, quàm prior erat momen-

momenti. *Hermogenes* nempe cum suis & aliis: *Deum*, inquit, *mali* autorem dicere oporteat, nisi malum à materia, non à creatore deducamus. Respondet huic objectioni totus *Tertulliani adversus Hermogenem liber*, cujus summam nobis tradit *Calovius in Syst. T. II. c. IX. q. V. p. 422.* Materiam malam non esse, si æterna sit, quia tunc insuperabile sit malum, nosq; frustra de auferendo illo ex nobis laboremus, deinde, si mala sit materia, æternam esse non posse, cum *Deus* illam de malo in bonum demutârit, faciens bona omnia, id autem, quod æternum, sit immutabile. Hoc probat *Gregorius de Valentia* *disp. III. q. VI. p. 3. p. 1051.* *Origenes* verò Paganos universim oppugnat, dicendo, *Deum illos potius facere causam malorum, cum materiae qualitatem denegent omnem.* Ita namque: *ἐκ δὲ εἰ τὰ κακὰ ποιότητες ὑπάρχουσιν ἑστῶν, ἢ ἢ ὑλῆ ἀποικοῦ ἢν, τῶν ἢ ποιότητων ποιῆσῆν εἶπας τὸν Θεὸν εἶναι, ἕσται ἢ τῶν κακῶν δημιουργὸς ὁ Θεός, c. 24. Philocal. p. 85.*

§. IV.

Remotâ jam mali omnis origine à materia in DEUM redundare videntur cuncta, cum contrariæ causæ particulares (inter quas sunt bonæ & malæ) non debeant revocari in primas contrarias, sed in unam & eandem, quæ ob sui amplitudinem est origo causarum etiam contrariarum, quia plures primæ esse non possunt secundum Scholasticos, cum omnino igitur malum secundum *Augustinum contra Jul. c. 3.* suam habeat causam. Quæstio nata Scholasticis est: *An Summum Bonum, quod est DEUS, etiam causa mali possit esse?* vid. *Greg. de Valent. Disp. III. Q. VI. P. II. p. 1049.* ubi quoque triplex ipsius mali & causæ distinctio videri potest. Ad Quæstionem autem ipsam ita respondet: *Mala vel contingere, inquit, ob imperfectionem agentis particularis in agendo, quæ sint in ipsa actione, & sic in proprio effectu agentis, hæc q; DEUM efficere negat.* Alia mala contingere dicit ob perfectionem particularis agentis, quod effectum suum perfecte attingit, ex quo sequitur privatio formæ incompatibilis in eodem subiecto. Hujus generis mala efficere affirmat cum *Thoma*, qui illud *Sap. I. Deus mortem non fecit, explicat: Deum non principaliter mortem intendisse.* Confer *Petavii dogm. Theol. P. I. L. VI. p. 416.*

§. V.

Quicquid jam sit, omnes adversariorum eò recidunt exceptiones ultimatae, Deum ad minimum causam peccati esse per accidens. Statuerunt hoc *Zwinglius in Elench. contra Catabaptist. P. II. p. 36. Calvinus L. III. Institut. c. XXIII. §. 4. Beza Vol. I. p. 417.* aliique, quos *Systemata ostendunt Theologica.* Jam igitur operæ foret pretium, objectiones Accidentalistarum solvere omnes, cum verò absolutissimum pro fundamento habe-

447722
habeant cuncta; demonstratum saltem ibimus, Deum non posse esse causam peccati per accidens, relicturi reliqua, ut influxum motus divini causualem, quod dogma est *Piscatoris Vol. II. Thes. contra Schaf. Thes. 27. p. 180.* de quo vid. *Danbauer. Hodomor. Calv. p. 1046.* Judaeorum *שם* de quo vide *Eliam in Thibi, Seldenum de Diis Syr. S. 2. c. 6. Buxtorff. Lex. 1495.* & alia illis, quibus Theologiae studium jamjam concessit nomen.

§. VI.

Pauca jam sum adducturus argumenta, relictis illis à sanctitate DEI depromptis, (quae vide ap. *Calov. Syst. T. II. L. de Deo*) ne Theses hae nostrae in opus excrecere videantur. Quicquid veram causam significat, illud in ratione peccati de Deo praedicandum non est. Atqui Terminus causae per accidens veram causam significat. Ergo Minor tenet. Sicut enim Ens aliud per se, aliud per accidens: ita etiam causa, dicit *Philosophus L. II. Phyl. c. V. Text. 50.* Ens verò per accidens est verum Ens, E. etiam causa per accidens est vera causa, juxta Philosophum, qui causam per se & per accidens, ut *ωεσ μλρον* saltem & *ἀπειργν* l. c. distinguit, vid. *B. Parentis Syst. Theol. L. II. p. 49.* Omittimus jam adducere explicationem aliam causae per accidens, quatenus illa est vel à parte causae, vel à parte effectus, cum passim apud Philosophos illa occurrat. In praesenti causa quaeritur: An Deus sit causa per accidens ex parte effectus? propter hanc quaestionem DEUS est causa peccatoris, i. e. hominis, cum quo peccatum cohaeret. Jam dico: Quicquid reverà causa per accidens dici potest ac debet, id verum influxum in hunc effectum, cujus causa per accidens in circulo physico seu causalitatis, & non tantum in Logico seu praedicationis dicitur, praestat & p. c. vera causa est, cum causa sine causalitate ne concipi quidem possit: jam igitur, si DEUS causa per accidens est, sequitur vi relationis, quòd peccatum sit DEI effectus per accidens, ut *Dreierus Metaph. pag. 102.* fateri cogitur, quòd blasphemum.

§. VII.

Effugium tandem Adversariorum, quòd tò per accidens sit determinatio alienans, frivolum est. Non enim agnoscimus alienationem, quam adversarii non probant. Nam quicquid per accidens producit, reverà tamen producit, quicquid per accidens componitur & est, reverà componitur & est.

§. VIII.

Materiariorum reliquos inter occurrunt *Marcion*, vid. *Tertull. L. V. adv. eundem: Hermogenes*, vid. *Tertull. l. c. Manichaei*, vid. *Gregor. Nyssen. Lib. de opific. hominis c. XXIII. Seleucus & Hermias*, vid. *August. haeres. 59.* confer *Gregor. de Valentia Disp. III. Q. I. P. II.* Quos omnes cum propriam sibi vendicent tractationem, relinquimus jam intactos. DEO pro concessis, de Philosophis conscribendi Theses hasce, viribus immortales dicentes laudes, recteque cum *S. Bernhardo s. de considerat. c. 6.* concludentes: *Frustra Philosophi materiam quaerunt, non eguit materià DEUS, non enim officinam quaesivit, non artificem. Ipse per se, in se omnia fecit. Unde? de nihilo: nam si ex aliquo fecit, illud non fecit, ac per hoc, nec omnia*

S. D. G.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Q. K. 351, 2.

II f
22
X1860433

Q. D. B. V.
DISSERTATIO PHILOSOPHICA
NOYN ^{noy} YAHN
MATERIARIORUM VETE-
RUM PHILOSOPHORUM

præcipue sistens,
DEI Gratia
ac Inclutæ Facultatis Philosophicæ Indultu
Publico placidoque Eruditorum examini
proposita

à
M. HENRICO VOLKMAR
Scherzer / Lips.
PRÆSIDE

&
Johann Gottfried Häntschel / Scandav. Misn.
RESPONDENTE

die VIII. Aprilis A. O. R. M. DC. XCIII.
H. L. Q. C.

L I P S I Æ,
Literis CHRISTIANI GOEZII.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

977